

Appendix. — Europa Nro. 20.

Regnum Mortuorum.

Dissertatio Politica.

De iis, quae Nobilitati obijciuntur.

In Elisio 23. Februarii.

T e x t u s.

Dum Adamus foderat, et Eva filia duxerat,

Attunc adhuc nulla Nobilitas fuerat.

Et ubi attunc fuerant Eruditi, Mercatores, Judices Patenses, Arendatores, Cives, et divites Coloni? — Similes laesivae sententiae deliguntur ad deprimendam Nobilitatem; et quid haec omnia probant? — Quivis videt, et gratulatur, alteri aliquid appendisse. Illo tempore certe non erant Diarnistae, non servi, non fabricantes, ideo debuit Adamus fodere, et Eva nere. Sed nec comederunt hi Protoperentes humani generis assam, quia ars ignem exstruendi primum ab Aegyptiis venit.

Quid ergo est Nobilitas? — Multiplicatis super terra hominibus enata est proprietas, quam formabant greges pecorum, et cultura agrorum. Adamus, qui multa habebat armenta, certe fuerat Parens nobilis, et Possessor armentorum, eratque primus inter alios gregum Dominos — quin famoso feudali sissemati subjectus fuisset.

In Germania, ubi naturalis defensio in bello sistema feudale genuit, nobilis erat fortunatus miles. — Decurio, aut Generalis — nam hierarchia militaris attunc adhuc ignota erat. Hic habebat subditos, et terras, atque adeo stilo illius aetatis servos. Hi Heros suos in castra sequi, et hi eos, dum adhuc pulveres nitrati non erant, in hostes ducere debebant; haec erat sancta obligatio feudalismi. — Quam pnterum erat videre Dominum complurium vicorum cum suis in campum prodeuntem, servi hi erant animosi, dicentes sibi ad invicem: Si Dominus noster, qui primus in nostro processu, nobiscum in campum prodit, nos ducit, primus in hostem irruit, semet maxime periculis exponit, cur nos idem non faceremus; cum is Dominus; nos autem servi simus? — Hinc erat tunc Gens Germanorum bellicosa, et hostibus

terrori. Haec erat obligatio Possessorum fundorum in Germania; Haec fuerat nobilitas.

Erat admodum naturale, quod Possessor latifundiorum primus inter suos fuerit; habuit is occasionem, se in arte bellandi exerceandi; tempore pacis occupabantur Equites venatione, equitatione, et sic dictis exercitiis equestribus; in bello erant servis suis aequales. Regnantes tempore belli convocabant eos, et hi convenerant fideliter, saepius Pater cum omnibus filiis suis. Deseruerunt arces suas, et domi remanere, ipsi senes ignominiosum reputabant; erat bellum, et juvenes ac senes adesse debebant. Haec erat vera nobilitas!

Post bella religionis, et pacem vestphalicam unitas Imperii germanici in varios supremae potestatis ramos divisa existit; Archi dignitarii, seu Primi officiales coronae, effecerunt se, si dicere fas est, Dominos independentes, et jus suum successive magis, atque magis extendere studuerunt. Quodvis *jus de non appellando* erat valnus, unitati illatum. Pax vestphalica laudabatur velut opus perfectissimum in hoc optimo mundo. Pro tempore pacis erat quidem res perfecta, sed in bello. — Miserabilis; Quivis, ut quam optime potuit, semet retraxit; hic pacem iniit; alter se eidem adjunxit, et quaesit ejus protectionem; nullibi erat unio; quivis conabatur damno alterius suam augere potentiam, donec tota putris machina corrui.

Quid evenit? Nobilitas minor adjunxit se majori, et more adhuc hodierno piscium, majores absorberunt minores; huic igitur debiliori nobilitati non aliud superabat, quam se potentiori adjungere, et quadam nobiliori ratione semet subditum efficere; quid vero hic ex iis aliud facere potuit, quam *Milites*? Nobili tali gladius erat unicum Instrumentum, statui conveniens; ergo debuit miles fieri; et Bone Deus! quid potuit in militia sibi comparare? Primum Cadetius, dein vexillifer, et post multos annos Centurio, extorsit a Parentibus sic dictos *numulos maternos*, dum stabilis officialis factus, jam vita erat in finalibus.

Fridericus Secundus habuit quidem illud somnium, quod tantum Nobilis officialis esse potuerit; utens argumento, civilem haud ita militaribus obligationibus aptum esse, quam Nobilem, quia aliter educatus esset, et aliam etiam vitae rationem sequi posset; Nobilem autem, qui nihil aliud didicisset, ad ensem manere debere. Quantum in his veritatis sit, non vacat inquirere; id mirandum, quod post infausum bellum berussicum omnes scriptores contra Nobilitatem consurgant, illi omnem infelicitatem imputent, et in fortunatum hunc statum ingratis quibusvis afficiant.

plius
via.
est n
nobil
prae
quae
idem

et Of
tui in
min
habu
ti, q
onen

pers
nobi
tati
enim
quae
tur;

bellu
Svec
alia
ones
bellu
cis u
tia A
asse
subs
in S

merc
rat,
navi
met
ubi t
Rect
verb
que
quid
pten

Bene! Sistema feudale sublatum; nulla nobilitati amplius praerogativa, cuius patet penes militiam ad gradus via. Multum gloriae pro humanitate, sed parum lucri. Nulla est nobilitas, sed est possessio Bonorum. Seu possessorem nobilem, seu exnobilem nomines, is semper habebit jus representativum; proles suas melius educabit, officia consequetur, et filios suos mittere in scholas militares. En iterum idem sistema cum paucis modificationibus!

Querela generalis est; Nobilitatem *insolentem* fuisse; et Officiales se aliis meliores reputasse sed annon primo statui in civitate aliquid indulgendum? An alteri cuique diviti minor fumus? Annon homines conditionis civilis, si merita habuerant, nobiles creati? idest in meliorem classem elevati, quae scientiis, et educatione se se perficendi occasionem habebant. — Ita etiam posset de quovis alio statu dici.

*Dum Adamus fodebat, et Eva nebat;
Tunc certe nullus adhuc mercator erat.*

Ast satis de his; Feudum cessavit; et nobilitas nonnisi personales praerogativas habebit; dehinc futura est una nobilior hominum classis; divites, et in eminentibus dignitatibus constituti proles suas melius educabunt, et sic (hic enim est rerum cursus inter homines) enascetur aristocratia, quae tantundem, quantum antea Nobilitas, sibi imaginabitur; hoc est primum caput experientiae.

Dum haec nova politica Organisatio cuditur, fervet bellum navale. Anglia solam in Continente amicam habet Sveciam, quae portus suos Angliis aperit. Ut Rex Sveciae ad alia flectatur consilia, veniunt jam nunc aliae demonstrationes! Relatio Riga de 15. februarii dicit. Russiam Sveciae bellum declarasse, Finniamque Svecicam occupasse; Svecis ubique recedentibus; et tamen manet Svecia in amicitia Anglorum, accipitque ab his subsidia; imo plane aliqui asserunt; in portu Cothenburgensi esse 4 classicas, et tres subsidiarias Anglorum naves; ac plane militiam anglicanam in Svecia jam exscendisse.

Burdegala scribitur: advenisse illic navem americanam, mercibus magni valoris oneratam, quae in itinere, ut narrat, propter densas nebulas de recto tramite aberrans, in navim subsidiariam Anglorum impigit. Dum navis haec semet per id excusasset, se errore ad oras Galliae deviasse, ubi tamen cursus ejus Hamburgum esset; respondit eidem Rector navis anglicanae. Nosco te mi — et scio, quae fides verbis, interim vade in pace, quo te fata ferent, in hi namque in jussis datum, ne americanas naves infestem; numquid hoc evidens argumentum, Angliam cum America septentrionali pacem retinere velle.

Caesareburgo fert Journal de Paris: adeo vehementem fuisse 12. Februarii tempestatem in mari, ut praesidium Napoleonis, et ageres illic estractos everterit, multis incolarum sub ruinis sepultis. Non secus ex *Brionde* et *Saumure* nunciatur, initio Februarii iteratam terrae succussionem observatam fuisse, quam furens turbo comitabatur; hoc tamen phaenomen, praeter terrorem habitatorum, vix aliquid damnnum intulit.

Helvetia scribitur: fervere tractatus inter Rempubicam hanc et vicinarum Potentiarum Ministros, notanter etiam cum Austria propter aliquas Commendarias Ordinis Teutonici. Cum Sede quoque Romana dissensiones amice sopitas esse, quae ab aliquo tempore Lucernae jam in asperitates deviarunt. Circa tractatum commercialem cum Gallia et Italia ineundum nulla adhuc certa sunt indicia.

Capitaneus Navis *Berkely* ex India occidentali Londinum redax, retulit; Insulas danicas *S. Thomae*, et *S. Joannis* 22. Decembris per Capitulationem semet Anglis tradidisse. Siciliani duos anglicos cursores publicos, qui *Panormo* *Syracas* profecti sunt, in itinere trucidarunt, ergo non videntur Angli adeo grati esse Siculis, quemadmodum Londinenses putant. Angli tentarunt excensionem in peninsula *Morea*, volentes in populo speciem revolutionis seminare; sed nota est jam ubique Anglorum amicitia, et fides. — *Dey* *Algiriensis* inicit cum Anglis tractatum commercialem, et tamen occupat *Anglicanas* naves — qua mensura. —

Sors quoque *Sveciae*, ita narrant litterae ex partibus *Albis Inferioris*, haud amplius diu manebit incerta; de expeditione enim *Dano-Gallo-russica* contra illam vix amplius dubitandum, licet *Holmieuses* ex parte russica nihil metuere videantur. Copiae gallicae, et quae praeter has in *Germania septentrionali* sunt, parant se ad tragoediam, quae imminet. *Adjutans* *Coronae Principis Daniae* 11. Februarii fuit *Hamburgi*, et habita noctu cum Principe *Pontecorvo* consultatione, sequenti die *Chilonium* reversus est.

Troja et Pulchra Helena.

Profecto nulla foemina adeo celebris, quam pulchra *Helena*, nec ulla politica insipientia major, quam oppugnatione *Trojae*. Sed an probabile; Omnes *Graeciae* Principes (Nota tibi exemplum civitatum olim Imperilium) quae in continuis dissidiis inter se vexerant, omnium inimicitiarum obitio, semet ad vindicandum unius foeminae raptum conjunxisse, si verum est, justa est conclusio, *Graecos* facilius, quam hodiernas civitates uniri posse. Sed sub *Alexandro*, ubi de existentia earum agebatur, uniri non poterant. Tantum ergo una foemina in politica *Graeciae* potuit! — *Mundus* subinest stultus, saepius autem plane efoeminatus.

gere

Sveci
Sveci

gloria

spere

stran
veter
simu
tia,
perd
gnav
gnun
dina
niae

plus

rum
cont
rant
lum
poss